



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Ervditione Religiosorvm**

**Humbertus <de Romanis>**

**Ingolstadii, 1591**

**VD16 H 5888**

3. Charitas quomodo se habeat ad cæteras virtutes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](#)

tionis, & futurorum malorum, quæ sancti per transitoria mala euadunt, & meditatio præmij. Gregorius. Consideratio præmij, minuit vim flagelli. Non sunt condignæ passiones huius *Rom. 8.* temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ad humilitatem & obedientiam disponit meditatio humilitatis & obedientiae Christi. Ad hoc specialiter monet nos Apostolus: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu. Et *Phil. 2.* subditur: Exinaniuit semetipsum factus obediens usque ad mortem. Augustinus. Medicina tuæ moris hominis, est humilitas Christi. Erubescat homo esse superbus: quia humiliis factus est Deus. Bernardus. Mementote fratres, Christus ne perderet obedientiam, perdidit vitam. Ad opera pietatis disponit, meditari, quod pauper corporis Christi membrum sit, & quod Christus sibi reputat fieri, quod pauperi fit: & quod in tremendo iudicio specialiter de operibus pietatis disceptatio facienda sit.

*Quomodo charitas se habet ad cæteras virtutes.*

### CAP V T III.

**C**haritatis est, operibus cæterarum virtutum bonitatem prouidere: quod ut fieri possit, accendenda est dilectio Dei in nobis, ostensione amoris, quæ Deus exhibuit nobis. Sicut enim ignis non melius accenditur quam igne: ita nec amor melius quam amore. Nutrienda etiam est Dei dilectio lignis beneficiorum diuinorum, generalium & specialium, quæ à Deo recepimus, & cōtinuè recipimus; ut ex feruenti Dei amore, abundantia operum perfectæ bonitatis

tatis procedat; ita ut in nobis locum non habeat  
pigritia, vel negligentia, vel fastidium: nec amori  
vanæ laudis, vel vanæ gloriæ, vel alicuius terre-  
ni emolumenti, charitatis opus præripiat, & sibi  
vsurpet.

*Quomodo humilitas se habet ad ceteras virtutes.*

### CAPUT IIII.

*Serm. 2. in  
nat. Domini  
in circasi-  
uem.*

*Iacob. 4.  
1. Pet. 5.  
4. Reg. 4.*

*Hom. 4. su-  
per Missus  
est. a medio  
illius.*

**A**D humilitatem pertinet, ut si homo passus  
est ruinam, ipsa reparacioni intendat; si im-  
mineat ruina, ipsa se opponat: & ut in ædificio  
spirituali, stabile fundamentum ponat. Bernar-  
dus. Sola virtus humilitatis, læsæ est reparatio  
charitatis. Humilitas ad nihilum peccatorem  
adducit: ut se nihil reputet, & in valore, & in vir-  
tute. Ex hoc nihilo fit recreatio: sicut ex nihilo  
simpliciter facta est creatio. Hoc non ignora-  
bat Dauid, qui dicebat: Cor contritum & hu-  
miliatum Deus non despicies. Qui etiam ait:  
Cor mundum crea in me Deus. Creatio mundi  
cordis, facta est ex nihilo humilitatis. Humili-  
tas, quæ cor euacuat, locum Deo præparat. Hu-  
milibus dat Deus gratiam. Vasa vacua reple-  
Heliæus. Non patitur natura vacuum, quin il-  
impleat: nec gratia cor humile, quin illi se in-  
fundat. Humilitas non solum est gratia, sed eti-  
am receptaculum gratiarum. Humilitas grati-  
am haurit, ut vas inclinatum fonti bonitatis.  
Humiliare Deo, & expecta manum eius. Ma-  
num, inquam, largientem. Bernardus loquens  
de illo verbo: Ecce ancilla Domini; Semper so-  
let esse diuinæ gratiæ familiaris humilitas. Hu-  
militas ergo respondeat, ut sedes gratiæ præpa-  
retur.